



43 49

ORATIO PANEGYRICA  
CIVILIS PRU-  
DENTIÆ

ELOGIUM CONTINENS,

*Publicè recitata*

In

MAGNO JULEO


quod est

HELMESTADII

*Die XXVI. Martij anno clō Is c LXI.*

à

PAULO von HERMENSEN  
NOB. LIVONO.



HELMESTADII,  
Typis JOHANNIS HEITMÜLLERI

Anno clō Is c LXI.



3

ORATIO PANEGYRICA  
CIVILIS PRU-  
SIAE

ELIUM CONTINENS

Publica

in

MAGNO JULIO

quod est

HELMSTADII

Die XXII Martij anno d. b. c. LXXI

1

P A U L O W I L H E L M S S E R G E R  
Nov. Livono.

1771



HELMSTADII

Typi Johannis Heintzelmann

Anno d. b. c. LXXI







Magnifice Domine Prorektor, Admodum,  
Reverendi, Nobilissimi, Amplissimi,  
Consultissimi, Excellentissimi, ac Cla-  
rissimi Viri, Dni. Professores, Pastores,  
& Hospites pl. colendi; Nec non Tu  
nobilissima Studioforum Corona.

**C**um omnes mihi singulari quadam ac præcipua lau-  
de digni videntur, qui in assequenda honestarum ar-  
tium scientia, in sedulo virtutum cultu, operam &  
industriam collocant; tum ij præcipue, qui veluti majore  
quodam honestatis afflatu percussi, ad magistram virtu-  
tum atque honestarum actionum, Prudentiam, omnes co-  
gitationes suas atque omnia studia contulerunt. Nam si  
eorum omnium quæ in hac immensa rerum universitate  
cernuntur, unumquodque naturali perficiendi sui deside-  
rio tenetur, & animus noster virtutibus non nihil confor-  
matus, tantò perfectior est, quantò propius ad illud, ex quo  
ducuntur & propagantur ipsæ exemplar accedit; Dubi-  
tandum profecto non est, quin illud sit omnium præstan-  
tissimum studium, quò dux virtutum omnium, quò caput  
honestatis & magistra diligenter colitur. Omnes certè  
virtutes atque præclaræ actiones ad præscriptum Pruden-  
tiæ suscipiantur necessum est, cum magna præsertim re-  
rum, magna Circumstantiarum subinde occurrat varie-  
tas, ut & loci, & temporis, nec non personarum ratio sem-



per haberi debeat accuratissima. Quod cum ita sit, & aliarum actionum recordatione ac Conscientiâ, aliarum tractatione ac præsentia, aliarum meditatione & perspicacitate, nec non laudabili quadam perspicaciâ viri prudentes atque virtutum studiosi multum afficiantur; dubitari profecto non potest, quin plures, nisi Prudentiæ ductum laudabiliter sequantur, ad multos scopulos haud dubiè sint offensuri. Quemadmodum qui in difficili constitutus itinere nescit quâ eundum, & num huc vel illuc incedendum, modò hac, modò illac se confert, & qua parte flexendus sit Cursus ad optatû scopum, anceps hæret, imò quoniam bono duce destitutus est, animo & sensibus omninò sustentetur; Non secus ipsæ Virtutes strenuum sui Cultorè ad fastigium Civilis felicitatis ducturæ & velut in bivio constitutæ, nil certi, sine duce Prudentia, quâ nimirum via insistendum, quod iter ad felicitatem ingrediendum sit, statuere possunt; sed in varia potius feruntur devia, multaque præcipitia offendunt. Quod si verò ipsam sibi sociaverint, non possunt non optatum instituti sui scopum obtingere. O nobilissimam igitur Prudentiæ laudem! O gloriam Prudentiæ incomparabilem! Quam si quis sibi attentius in memoriam revocat, non potest non cum memoria incidere in hortum illum supra omnium hortorum sortem, supra omnium formositatem atque felicitatem positum; omnes illos florum nitentium, arborumque fruticantium ubertate excedentem, Paradisum scilicet, quem Primi Parentes quondam nostri; sed heu quondam! incoluerunt, & in quo omnipotentis Dei imagine exsplenderet. Sicuti enim in illo non nisi pretiosa omnia, nitentia & splendentia omnia, hominumque oculos suavissimo ornatu perstringentia apparuerunt; ita in Virtutum

dire-



directrice omnia invenimus elegantissima suavissimaque,  
quæ hominum mentes non immeritò in sui trahunt admi-  
rationem. Et verò prout in illo Paradiso, tanquam verò  
voluptatis horto, inter flores divinâ conditos sapientiâ,  
magna fuit amænitas; proinde in feracissimis Prudentiæ  
Viridariis eam non frustra quispiam desiderabit. Quantus  
enim decor hîc occurrit? Tot sanè Virtutes gratiofo cultu  
omnes flores: Jucundo fructu omnes vincunt arbores, et-  
iam facundissimas. Quandoquidem autem in Paradiso  
fons quidam tam suavis oriebatur, tam uber effuebat ut  
quadripartito cursu hinc inde terras irrigaret; Similiter  
etiam Prudentia omnium bonorum auctrix atque procre-  
atrix varias in universam Rempublicam diffundit utilita-  
tes, magnaque ei procreat commoda. Quæ omnia si hîc  
recensere laboremus, Auditores, verba & dies nos defice-  
rent: adeò enim omni prædicatione assurgunt superiora,  
ut laudes eorum sigillatim recensere omnes, ac flore o-  
rationis convestire velle, temerarium videri possit. Sed  
ex hoc tam immenso laudum campo ne splendidissimi hu-  
jus auditorij benevolentiam abuti videar, aut longius ser-  
monem protrahendo malevolentiam mihi potius quàm  
exoptatum favorem ac benignitatem vestram comparem,  
postremam harum comparationum impræsentiarum seli-  
gam, & quàm commodè ac eleganter quatuor fluviorum  
paradisiacorum encomia, Prudentiæ, laudabilium actio-  
num matri nec non Virtutum reginæ tribui possint & de-  
beant, ex hoc loco vobis audientibus verba faciam. Illud  
autem antequam fiat à vobis, Auditores, omnium ordi-  
num spectatissimi, maximoperè contendo, ut, quando ma-  
ximum mihi per fugium in vestra bonitate atque benevo-  
lentiâ situm est, navigantem me in hisce quatuor Paradisi  
fluminaibus, vestro silentiò sublevetis, & navem hanc ora-  
tionis

A 3

tionis



tionis meæ vestri favoris flabrô impellatis, quò, expansis  
veluti rensisque velis, quem sibi proposuit portum facili-  
us consequatur.

Magna laus est, auditôres, quatuor illorum fluvio-  
rum principalium, qui cum condito mundo ortum suum  
habuerunt; quos inter quidem Ganges Indiam permeans  
principatum ducit, ita tamen, ne cæteris quidquam laudis  
deroget. Ad hunc accedunt reliqui, nimirum Nilus Ægy-  
ptum sæcundans, Tigris Assyriam percurrens, & plurimum  
riparum vorago Euphrates, Syriam inundans. Quanta  
autem ex ijs auro fluentis fluvij Gangis celebratio sit, nulli  
non perspectum esse inde colligo, quod tantam auri vim,  
tantam omni tempore gemmarum copiam suppeditet, ut  
divitias sibi inde parare amplissimas Cuius accolarum  
non difficile accidat, cum (ut de eo refertur) non solum  
margaritas pretiosissimas evolvat, sed & permixtam auro  
arenam vehat. Quid dicam? Annon eadem quoque di-  
gnitas Prudentiæ tanquam Gangi cuiusquam aut Pactolo  
competit? Sanè ut aurum ob nobilitatem, quâ eminent re-  
liqua metalla omnia rutilo suo splendore superat, & inter  
ea meritò ducit familiam: ita Prudentiæ, quæ basis atque  
fundamentum est Virtutum, tanquam Principi suæ ipsæ  
omnes non immeritò assurgunt. Neque sola tamen no-  
bilitas, auditores, ex auro promicat; sed puritas illa ab o-  
mnibus scoriis & recementis aliena magnam in super ipsi  
laudis partem vindicat: pari ratione nulla macula, nulla  
vitiolorum mixtio in Prudentia apparet. Eam enim quæ  
Virtutum dux & lux est, ullo vitiolorum luto contaminatam  
esse quis affirmabit? Ita enim cum Virtute cohæret, ita  
altera alterius opem poseit, ut nec virtuti sua constet in-  
doles sine hac Prudentia, nec prudentiæ absque virtute.  
Virtutum scilicet directrix est, non scelerum: Honestatis,  
non



non improbitatis: Justitiæ, non Injustitiæ! Unde sempiternam istam legem homini figit politico, ne in alioquàm honestatis campo se exercent. Sed non minorem in Gange fluvio pulcerrimi carbunculi copiam reperiri accepimus, cujus ignea flamma ad Prudentum consilia & inventa commodissimè referrì potest, quibus utique in tantùm lucent, ut splendor elegantissimus è Prudentum superciliis, quasi eniteat & alios quoque variè illustret, ut in actionum tenebris, quò modò ipsis procedendum sit, facile appareat. Verissimum enim illud est, Auditores, omni luce actiones nostras privari, omnia facta inceptaque nostra spissis oppleta tenebris, in caliginosis carceribus jace-re, nisi Prudentiæ luce illustrentur. Hæc enim, Prudentia, quæ optimè carbunculus honestatis appellatur, hæc, inquam, magistra morum atque actionum nostrarum est; ac veluti Sol exoriens nubium caliginem dissipat; ita ipsa præsto est, omnem in operibus nubeculam caliginis depellit, in omnibus rebus nobis facem omnia illuminantem, omnia illustrantem accendit. Cum primis verò gratissima prasini lapidis viriditas Gangem nobilitare dicitur, quem oculis ostentat aspectu jucundissimo: Quid melius cum Prudentiæ vigore atque vivacitate conferri potest? illa enim semel conceptum vigorem non tam facile amittit, sed quotidie magis magisque adauger, nec in tot ac tantis adversitatum turbis ullum persentiscit deliquium; quin potius sive novercante, sive favente fortuna semper prominet animosior; ut non sine causa radius quidam divinitatis nominari possit. Quis enim est qui non videat quantulamcunque Prudentiæ cognitionem, quæ nil divinius esse potest, cui libet accuratæ aliarum rerum cognitioni multis esse partibus anteponendam? Et si nemo est, quem non vel nitido concepta speculo, vel periti artificis



ficis expressa manu corporis alterius figura delectet: quan-  
tò jucundius, quantò suavius esse debet, expressam quo-  
dammodo Prudentiâ rerum multiplicium imaginem  
quandam perspicere. Etenim illa, illa est quæ res abditas  
investigat, investigatas comprehendit, comprehensas di-  
gerit atque componit, dissipata colligit, collecta dividit,  
præterita recordatur, cernit instantia, futura coniectat, &  
extrema conferens primis omnium rerum cursum & even-  
torum consequentiam notat. Unde Politicorum sui se-  
culi antesignanus, Lipsius, eam, eximiam intelligendi ju-  
dicandique vim dixit, quæ, ut anima perfectio hominis est;  
sic ipsa anima. Alius eam bonum hominum proprium  
à Deo Opt. Max. ad societatem vitæ concessum, ad com-  
munionem Juris atque morum necessarium appellat, &  
quò magis eam commendat, graviter addit; ut in ea ex-  
ornanda atque polienda simus studiosiores, nec in obscu-  
ro jacere unquam, multò minus obsolescere illam patia-  
mur. Quantò autem Nilus, alter (ut ajunt) Paradisi flu-  
vius, ob fertilitatem, quam terris affert, cæteris præstat flu-  
minibus? arenoso enim & sitienti solo & aquam inducit &  
terram. Cum nempe fluat turbulentius, omnem in sic-  
cis locis fecem relinquit, & quicquid pingue secum tulit,  
arentibus illinit. Miram verò fluvij naturam! Cum cæ-  
teri omnes abluant terras & eviscerent, Nilus hic tanto cæ-  
teris major, adeò nihil lædit, nihil abradit, ut & contra vi-  
res illis adjiciat. Annon idem hoc Prudentiæ officium est  
in Rebus? annon fructus edit per similes? In omnibus cer-  
tè negotijs atque ordinibus, potissimum autem in Rerum-  
publicarum administratione eam sibi sedem vindicat,  
quam esse oportet rerum moderatrici constitutam: Neque  
minus tam quæ Imperatorem quàm quæ subditum spectant,  
de Prū;



de Prudentiæ fonte haurienda sunt omnia. Et quoniam  
omnem statum, ut fluvius Nilus totam regionem inundat,  
quid imperiò hoc rationis, quò nihil pulchrius, nihil præ-  
clarius, nihil denique divinius, ne votis quidem conce-  
ptis optari potest, erit facundius? Magnum omnino mo-  
mentum in Prudentum Consiliis positum est, si ex voto  
crescere Respublicas volumus; utpote cum hi pericula  
non modò prævideant, sed & declinent, vel saltem minu-  
ant si immineant, Romanosne testes adducam aut Lacc-  
dæmonios? num Athenienses commemorem? Quorum  
Respublicæ Ducum & Imperatorum prudentiâ imprimis  
claruerunt: Quorum regna, urbes, domus, tam diu stete-  
runt consiliò, usque eò prosperum imperium habuerunt,  
quousq; apud eos prudentum valuerunt consilia. Evolva-  
mus paululùm Romanorum monumenta & proponamus  
nobis quorundam Imperatorum exempla; quantum pru-  
dentia penes eos valuerit, nulli non innotescet. Postea-  
quam Lucius Lucullus, vix dum adolescentiam egressus,  
tantùm brevi tempore Prudentiæ, tum ex libris historicis  
hausisset; tum naturâ quoque radium ejus præsensisset,  
rudis etiam adhuc rei militaris, non solùm in Asiam à Se-  
natu missus est, cui per multos annos præfuit laude quadam  
admirabili: Verùm etiam bellum illud mithridaticum,  
unde magnum Reip. malum imminebat, cui datus erat  
Imperator, sua virtute animique robore non modò gessit,  
sed & confecit; ut non tantùm opinionem vincere omni-  
um quam de virtute ejus conceperant, sed etiam gloriam  
superiorum superare singulari prudentia videretur. Sapi-  
enter olim Timotheus Cononis filius, non cum Ducem  
Atheniensibus exoptavit, qui, quod ajunt, culeitras exer-  
citus deportaret, sed qui velut Argus Panoptes à fronte pa-  
riter atque à tergo esset oculatus, h. e. Prudentiâ regendi  
prædi-

B

prædi-



præditus. Enimvero, sicuti Cytharam is malè sumere dicitur, qui artis illius imperitus est: ita haud benè eum præesse aut prodesse imperio, qui oculo prudentiæ privatus sit, putavit. Quod ipsum Aegyptij hieroglyptæ indicârunt, dum in sceptro regio, oculum, prudentiæ notam, posuerunt, quò in Principe præsertim, ne de aliis Imperij administratoribus dicam, Prudentiam, velut Reip. vigilantem prospicientemque oculum, requiri maximè designârunt: Quod enim aciem videndi putârunt esse in oculo, id non immeritò Prudentiam esse in animo judicârunt: & ut oculi toti prælucent corpori; Sic nec sine Prudentia ulla valida sibi constant consilia. Non magis proinde Apollinis olim oraculum, quàm illud Euripidis, verum videtur: Unicum consilium rectum, magnas militum manus vincere. Quid enim Virtus bellica? Quid Heroica? Quid ceteræ honestarum actionum sive matres, sive filia virtutes? Vis tantùm quæpiam sunt, quæ si consilij expers est mole ruit sua. Frustra hinc vires opponas, cum longè melior sit Prudentia, longè superior vir prudens, quam fortis: Vidit hoc rectèque vidit, quando ita canit Poeta:

— — — *Non solis viribus equum;*

*Credere: Sæpe acri potior prudentia dextrâ.*

Quandoquidem & maximis interdum opibus, magna Principum potentiâ, dummodo hoc orbatum sunt lumine, Respublicas quassari magis, quàm firmari, ac funditus deleri; Prudentiâ verò nunquam non retineri atque conservari videmus. O divinam vim Prudentiæ! Ô fecunditatem nitelicâ celebriorem! Dignissimi illi & à magno Philosopho divini judicantur, qui eadem inclarescunt. Verè divini! Auditores! Multùm etenim divini inesse consiliis, quæ sub prudentum cadunt deliberatione, & sacrum profectò quiddam consultationem esse, ipse sapientissimus Plato

confi.



confitetur. Sed ne solas Gangis divitias, ne fecunditatem Nili tantum quæritis in Prudentia: magna quidem illa sunt & illustria bona: Videte tamen pariter velocitatem Tigris, qui cum medorum tigri, quem sagittam appellant, & animali Tigride nomen habet commune; qualis ea & quanta sit omnibus est notissimum, ut Inde fluendi aut decurrendi celeritate quam ocyssimè fluens, terram quoque non tam inundare quam supermanare dicatur. Nonne autem eadem Prudentia promptitudo est? Nonne velocitas, felicitasque tam inveniendi, quam exsequendi consilia eadem? Licet enim vulgò tempus dici soleat Consiliarius optimus, ut, quicquid statuere animus est, diutius deliberandum & sub mentis atque rationis iudicium vocandum sit; interdum tamen non tam capienda esse consilia, multumque in animo volvenda, quam subito acceleranda & quasi rapienda, summa nos docet necessitas: non secus, ac si flumen præruptis aggeribus magna celeritate undiquaque prorumpere videmus. Loquuntur id ipsum rerum & factorum documenta, quantum periculi insit in prolixis deliberationum Concertationibus, præsertim ubi res urgere, & periculum in mora esse deprehenditur. Nonne sæpius interiora Consiliorum adyta, si diutius extrahas per varios Cuniculos, subvertuntur? Nonne intempestivâ sæpe sapientiâ adversus bonam animi mentem gratis nitimur, nec non in res, ubi non opus est, temeraria curiositate multum inquirimus? Nullus inter verè Prudentes Cunctatoribus locus est, qui non nisi trahendo negotia optimas agendi occasiones amittunt, quorum nullum aliud est studium, quam in corde suo, si quod ipsis cor est, res volutare & perpetuò disputare. Horum nulla vel exigua profectò in Remp. opera esse solet, quandoquidem ab ijs rarò quod Reip. proficuum sit, proficiscitur: & longè



forſan aliter agerent, ſi non tam longam deliberationem  
quàm Conſiliorum exſequendorum celeritatem adhibe-  
rent. Magnum verò ante omnia præſidium in rebus du-  
biis & turbatis poſitum eſt in prompto & expedito Conſi-  
liario; qui non minus promptè Conſilia invenire, quàm  
inventà, prout conditio ſtatùs fert, alacriter mutare, mu-  
tata præſenti applicare novit. Unde autem talis, Audi-  
tores, unde prodire ſolet, quàm è ſchola Prudentiæ? Sola  
hæc temporì fervire & ſinus obliquare docet: Sola in o-  
mnes ſe partes vertere inſtar fluvij illius Paradifiaci, cujus  
impetum Armenia præſertim celebrare poteſt. O feli-  
cem illam Prudentiæ velocitatem! Ô velocem felicitatem  
in rebus exſequendis ſemper neceſſariam! neque tamen  
cæco quodam impeturuſt in illud, quod intendit, aut in  
conſultò forſitan affectu in hanc vel illam fertur ſententi-  
am; ſed quod libet primò ſub promptum rationis examen  
revocat, & quod penſitat, Judiciij vegetioris libellâ, penſi-  
tat. Quò quidem ipſò fluvij illius inter principes iſtos  
quarti Euphratis ſcilicet ingenium mihi referre videtur.  
Quanquam enim celebris ob inexplicabilem profundita-  
tem, atque latitudinem immenſam habeatur, curſus ta-  
men moderatiſſimus eſt, ut pontibus quoque alicubi co-  
ërceri poſſit. Non lac lacti: non ovum ovo ſimilius exi-  
ſtit, quàm moderatio Euphratis moderationi Prudentiæ,  
quam in rebus adhibet omnibus. Equidem turbidam af-  
fectuum turbam effugere qui volet, omnes autem velle de-  
bent, Prudentiam adhibeat oportet: Hæc eos cohibet &  
moderatur, ne vel Reipublicæ damnum quoddam infe-  
rant, aut in perniciem ejus exerrent. Prudentes enim,  
domæſticos illos, quos intus habent boni conſilij hoſtes  
vincere atque vincere dörunt: neque minus illud debere  
eos facere conſtat, ut tanto animi robore pectus munitum  
habe-



habeant, quò nullo perturbationum impetu profterni,  
nec ab honesto ulla re deterreri sese patiantur, non priva-  
to sed publicò bonò omnia sua consilia merientes. Quid  
de voluptatum illecebris dicam? Quæ sæpe numero multos  
adversus alia omnia satis firmos, corrumpere solent? Phar-  
ma conpro sedandis illis tutissimum dare prudentiam qui-  
libet sanioris mentis homo statuit, qui earum vanitatem  
respicens, eas virtutis hostes & sibi ipsi inimicas, quan-  
tùm deceet, averfatur. Circumfertur de Ulyssè fabula vul-  
garissima, quod, cum aliquando ad Insulam in qua Circe  
habitabat appulisset, & socii eius ad emendum Cibum, nec  
non ad Cives, qui nam eam incolerent invitandos mit-  
terentur, Circe illis, cibum quem caperent & potum  
paulò lætius indulgerent, apposuerit, non minus hilariter  
quàm humaniter eos excipiens. Mox autem cum virgu-  
lâ quâdam, virgulâ sanè infelicissimâ, multis incantatio-  
nibus corruptâ ipsorum tangeret capita; ecce, in feroces  
bestias degenerant, & hic in lutulentam suam; ille in Ca-  
nem mordacem, tertius in ferocem atque vagam volu-  
crem transmutatur. Unus tantùm illorum qui nec cibum,  
nec potum veneficæ gustaverat, illæsus Ulyssi hæc referens  
abiit. Quid hîc Ulysses? Quanquam eum cæteri comites ne  
se cò conferret ubi socios in bruta mutatos perceperat, se-  
riò dehortarentur, neve se in periculum deliberatò animò  
conjiceret, manibus pedibusque suaderent; morem tamen  
non gerens ipsorum monito, confestim Circen adit. Mer-  
curius verò ipsum, dum iter parat, in via offendit; her-  
bam aspectu floreque candido, nigrâ autem radice, osten-  
dit, (moly dicebatur,) & præcipit, ut illam effodiat sibi-  
que servet; ejus beneficio ipsum à cantaminibus Circes  
immunem atque liberum futurum. Cum igitur Ulysses



Circæ appropinquasset ipsius etiam caput virgâ tetigit  
maleficâ; non dubitans, quin ut cæteri bruti speciem sit as-  
sumpturus. Verùm illius herbæ moly vi conservatus gla-  
dium strinxit, mortem eademque Circæ minitatus, nisi  
socios sibi restituat homines. Circe Ulyssi obsecundare  
coacta fistulæ cujusdam modulatione omnes feras convo-  
cat: denuò scipione suo eos attraxavit & socios pristino  
statui restituit. Ita Ulysses itineris Comites recuperavit,  
cum recuperatis aliquandiu postea apud Circen commora-  
tus est & ex voto ibi donec tandem navem ascendit, sese  
exhilaravit. Quid quæso incantamenta Circæ aliud sunt  
quàm fædæ voluntates, quæ homines in bestias vertunt aut  
hominibus faciunt deteriores? Mercurius autem, quid, nisi  
ipsa Prudentia est, quæ verum virtutum moly adversus vo-  
luptatum illecebras efficacissimum nobis largitur? Vacil-  
lantis admodum Reip. indicium habetur quæ suum sibi  
stabilimentum ademtum videt, neque diu quondam per-  
stitisse imperia accepimus quorum moderatores atque re-  
ctores cæco affectuum, amoris, odij, invidiæ impetu abre-  
pti imprudenter imperârunt, aut voluptatibus effæminati  
prudentiæ consilia aspernati sunt: utpote cujus Imperio  
subesse omnia, ad cujus præscriptum expediri omnia, cui  
uni assurgere debent omnia: hæc, quum in præcipitiora,  
pidissimorum affectuum constituta est, placido tamen de-  
currit alveo, ut Euphrates, nec impetu immoderato labi-  
tur. Frustra Gangis aurum & gemmam: Frustra fecun-  
ditatem Nili admirabilem, aut promptitudinem Tigris  
commendaveris in Prudentia, nisi Euphratea (ut sic lo-  
quar) adsit moderatio. Eâ nihil pulerius, nihil præclari-  
us, nihil denique divinius ne votis quidem conceptis opta-  
ri potest. O præclaram rerum agendarum peritiam, ar-  
dentissimo studiô, summaque animi contentione dignis-  
simam



simam ! O vitæ Prudentia Gubernatrix ! O Virtutum omnium parens, vitiorum omnium expultrix ! Tuum est affectuum ignem extinguere flagrantissimum ; tuum est errores hominum amputare atque circumcidere ; tuum est terribilissimarum voluptatum fibras evellere, stirpes elidere, semina tollere. Meritò nihil te præstantius hominum generi à Deo immortalis dari potuisse dicendum est. Quid sine te non modò nostra ; sed omnino hominum in Civili vita, vita esse posset ? Tu magistra morum, virtutum ac disciplinæ es, ac veluti in Gange fluvio aurum gemmæque undiquaque enitent : ita tu radius quasi divinitus immisus perturbatas impurissimis affectibus errorumque tenebris hominum mentes velut de integro interpolas, & illo tuo salutifero fulgore dispellis. Tu splendidissimus Carboculus atque viridissimus prasinus es, qui vitæ nostræ faculam accendit : Tu fecundissimus ille Nilus es, quem primus ille humani generis conditor atque propagator Deus, in ægyptiæ in primis terræ gratiam condidit. Tu velut Tigris es, ad cuius velocitatem te auxiliatrice nobis interdum aptanda sunt consilia. Tu non aliter quàm Euphrates moderatissimus, totum vitæ nostræ cursum dirigis. Libella quæpiam ac norma es, quæ in mentis tribunali residens, ut Euphrates grandius graviusque alicubi currens pontibus detinetur : ita distractas ruentesque hæc & illæc variis affectuum fluctibus cogitationes in officij gyrum cogis. Felices igitur qui ad te tanquam rectè vivendi asylum confugiunt ! Felices qui se tibi in administranda Rep. totos tradunt ! Felices qui tuo consilio auxiliòque nihil non peragunt ! Tu enim tutissimus murus es qui neque collabatur, neque proditur : Vera tui cognitione qui imbutus est, ille demum non potest non ad summam in hac vita beatitudinem impetrandam accedere. Quantum autem hujus Civis



villis prudentiæ studium in hac alma Julia laudabiliter  
hucusque enituerit nulli ignotum esse existimo nisi ijs for-  
san qui planè sprete ratione in hac Rep. literaria vivunt.  
Testantur hoc ipsum abundè satis doctissima clarissimo-  
rum virorum scripta hoc in loco cum primis edita, quo-  
rum elogia cum jam universus loquatur mundus; ita præ-  
stat sacrò silentiò eadem venerari quàm impari oratione  
eorum quicquam imminuere. Unicum verò quod con-  
testandæ submissæ devotionis documentum præbere possit,  
vorum ex animo addo. Floreat hæc ipsa Illustris Julia sub  
Serenissimis Brunsvvicensium & Lünæburgensium Prin-  
cipibus! Vireat semper viris masculâ scientiâ ac edecuma-  
tâ prudentiâ conspicuis, & vigeat denique omnium bono-  
rum genere quàm diutissimè! Perpetuet Deus Ter Opt.  
Max. salutare hoc pacis otium quò magis magisq; incremen-  
tum capiat celeberrimum musarum negotium! unde aliquân-  
do ex hoc illustri Reip. seminario strenui existât prudentiæ  
Cultores, qui maxima in omnè statum conferant emolumen-  
ta, nec non uberrimos undiquaque fructus redundare fa-  
ciant! Ad Vos autem Commilitones jam mea se convertit  
oratio; Vos inquam qui vel sacris vel politioribus animum  
dicastis literis, enitimini mecum, enitimini masculis a-  
nimis, quò quemadmodum Histrioni actio, saltatori mo-  
tus non quivis, sed certus quidam est propositus: Sic vitæ  
certam arripiamus normam, quò Nos deducat Prudentia.  
Neque nos interiores hostes affectus impediunt, aut volu-  
ptates avocent, quò minus huic studeamus, ut animus suo  
semper munere fungatur. Nobis enim optimi instar bra-  
bei, illustris hujus studij erunt præmia, neque nos usus &  
fructus Prudentiæ antea à me enarrati unquam  
destituent.

D I X I





**S** Und dieses nicht herliche nützliche Proben  
Womit sich Herr **H E L M E R S C H E N**  
würdig gemacht/

Dasß Ihn die Verstendigsten Leute nun loben  
Und Er sich entreisset der sterblichkeit Nacht.  
Wohlan so erfreue den Liebsten der deinen  
O Julia/ ferner mit solcher Art preiß/  
Und laß Ihn dein Antlitz noch weiter bescheinen  
Bisß Er sich in allem ersätiget weiß.  
Doch aber Er eilet / und wie mich bedüncket  
So hat Ihn schon ehmahls das Wunder der Welt  
Dasß stolze Paris mit den Augen gewincket  
Und seine beliebung zu eigen gestellt.  
Wohlan so erlang' Er den Endzweck mit Freuden:  
Er steige durch Weißheit den Sternen gleich hoch.  
Und wohl dehnt der daran sein Herze kan weiden!  
Denn wenn er schon stirbet so lebet Er noch.

Zu gutem andencken und gefallen  
schriebs eiligst

**Enoch Gläser/**

Beider Rechte D. und Professor.

**E**

**Nun**



**D**u giebst so offenbahr ans Licht  
Ein Muster deiner Jugendt/  
Ein jeder izundt mit mir spricht:  
Der legt recht an die Jugendt/  
Wer thut wie **HELNES** hat gethan/  
Der immer nur der Jugendt Bahn  
Mit brünstigen Verlangen  
Beständig ist gegangen.

Nun sieht man deiner Wörter zier/  
Die Pforte deiner Ehre/  
Nun sieht man wie du mit Begier  
Hängst an der Sprachen Lehre/  
Wie du durch deine Rede - kunst  
Erlangest bey gelahrten Gunst.  
Wohl schmückst du dein Gemühte  
In deiner Jugendt Blüte.

Es lieff ein jeder newlich zu/  
Dich **HELNES** anzuhören  
Ich selbstien ließ mir keine Ruh/  
Mich auch dorthin zukehren/  
Die **LEHRE** selbstien giengen hin/  
Zu sehen war dein kluger Sin

Für



Für Worte würde machen /  
Vnd von was klugen Sachen.

4.

Wie oft man sonst dich hat gehört /  
Mein Vers aniko schweiget /  
Geming! daß diese R&D&E lehrt /  
Wie du dich hast bezeiget /  
Wie du mit unverdrossnen Fleiß  
Getrachtet nach der Tugendt Preiß.  
Den muß auch nichts gereuen  
Den Ehre sol erfrewen.

5.

Nichts ist beständig in der Welt /  
Die Schätze haben Flügel /  
Wie baldt verlieret sich das Geld /  
Vnd Ehre läßt den Zügel ;  
Allein die Tugendt stehet fast /  
Dieselb<sup>e</sup> erhält sich noch auff's best.  
Wer diesen Schatz mitführet /  
Derselb<sup>e</sup> ihn nie verlieret.

6.

Drumb wohl du angenehmster Freund /  
Du weißt das zu erwählen /

S ij

Was



Was dir kein unterschrockner Feindt  
Zemahls wird können stehlen /  
Die Tugend warlich muß mit dir /  
Wenn du nun reisen wirst von hier /  
Die muß zu allen Zeiten  
Dich führen und begleiten.

7.

Noch wilstu von hier nicht nach Haus  
Zu deinen Freunden fliehen?  
Nein / denckst noch immer weiter auß  
Bey Frembden hinzuziehen.  
Wohlan! laß einen alten Greiß  
Beym Ofen sitzen immer heiß /  
Vnd auff den Reichthumb trawen /  
Du wilst was mehrers schawen.

8.

Nach Welschland / wie auch Franckreich siehst  
Dein Sinn dich zu entfernen /  
Vnd wie es etwan dort her geht  
In etwas zu erlernen.  
Mich deucht ich sehr izunder schon  
Wie Lieffland ihren liebsten Sohn  
Einst wird willkommen heißen  
Nach solchen langen Reisen.

9. Nun



9:  
Nun wohl der Himmel sey mit dir  
Auff allen deinen Wegen /  
Er sey dein Gleitsman für und für /  
Vnd träuffe seinen Segen /  
Er gebe dir bey jeder Meil?  
Ohn Abbruch neues Glück und Heil.  
So wünscht dein Freundt und Pfleger  
Dein allzeit trewer

Jäger.



**S**ol diß der Abschied seyn? sol man zulest dich hören  
Auff unsern Helicon? du Themis werther Sohn;  
Bistu noch nicht vergnügt mit dem ertheilten Lohn;  
Den dir Astræa gibt durch ihre güldne Ehren;

Nein nein! dein freyer Muth wil länger nicht verweilen!  
Er sucht berühmt zu seyn in dem entlegnem Land  
Woselbst die Seine fließt durch ihres uffers Sand /  
Vnd Rom gesehen wird; da suchstu hin zu eilen.

Wol dem / der so wie du kan frembden Sand durchreisen?  
Besehen manche Stadt und derer Regiment;  
Der frembden Völcker Art / und wie man den erkent  
Der ein Regent wil seyn / und recht soll unterweisen.

E iij

Du



Du hast durch deinen Fleiß und stetes Bücher siken  
Ein hohes Lob erlangt / das wird durch deine Reiß  
Auch bald berühmt seyn / in dem Latiner Kreiß  
Wie wohl ist der vergnügt / dem so sein Fleiß kan nützen.

So reise denn mit Glück nach den bekanten Felsen  
Den rauhen Alpen zu / in das betrübte Feld  
Wo stetig'scharffer Frost in grauen Zelten hält  
Und spiegelglattes Eis gar selten pflegt zerschmelken.

Es wolle deinen Sinn der Himmels Hörr erhalten  
Damit du lange kanst der Tugend Spiegel seyn  
Des Vaterlands Trost / der Wiedersacher Pein  
Und muß dein Ehren-ruhm bey uns niemahls veralten.

Im steten Angedencken setze dieses zu  
Ehren seinem vielwehrtten  
Freunde



Henrich Schwichelde























99 A 6944

ULB Halle  
002 822 598

3




Vb 17


Petro J











49

ORATIO PANEGYRICA  
**CIVILIS PRU-  
DENTIÆ**

ELOGIUM CONTINENS,

*Publicè recitata*

In

**MAGNO JULEO**


quod est

**HELMESTADII**

*Die XXVI. Martij anno cl3 l3 c LXI.*

à

**PAULO von HELMEXEN**  
NOB. LIVONO.



**HELMESTADII,**  
Typis JOHANNIS HEITMÜLLERI

**Anno cl3 l3 c LXI.**

